

www.e-rara.ch

Explanatio Vetervm Sanctorum Patrum

Oecumenius

Venetiis, M D LVI

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-137749>

De Anania & Saphhira ob defraudationem precij agri a Petro morte mulctatis: de apostolis in carcerem coniectis, & ab Angelo nocte eductis ... Cap. V.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

vendidisset, neq; postea sine sic vt principio cor
responderet, vsus fuisset, imprudenter sibi perni-
ciam attulit.

De Anania & Sapphira ob defraudationem precij agri a Pe-
tro morte mulctatis: de apostolis in carcerē coniectis, &
ab Angelo nocte educis ad prædicandum Iesum:
vbi rursus eos captos in concilio pontificum
Gamaliel exemplis adductis dimittendos
hortatur, & flagris cæsi dimittun-
tur. Cap. V.

VIR autē quidā nomine Ananias cū Sapphira
uxore sua possessionē uēdidi, et fraudauit de
precio conscia etiam uxore sua. & cum attulisset par-
tem quandam ad pedes apostolorum posuit.

Omnino enim Satánico furore plenus erat is
qui cum propria incitatione & nō ex necessitate
& vi Christum elegisset, statim vbi incepit, ser-
uidam hanc ad bonum motionem refrigerauit,
& rem totam perdidit. Tria autem hic simul si-
gna existunt: occultorum cognitio: in meditatio-
nem animi terroris incussio; & post hæc occisio
ex mandato.

Petrus uero dixit: Anania, cur impleuit Satanas
cor tuum, ut spiritum sanctum falleres, & de precio
agri defraudares? nonne manens tibi permanebat, &
uenditus in potestate tua erat? quidnam rem hanc in
cor tuum induxisti? non mentitus es hominibus, sed
Deo. At cū audiret hæc uerba Ananias cecidit, et exa-
nimatus est. & timor multus in omnes qui audiebāt,
est exortus. Surgentes autem Iuuenes composuerunt

ipsum, & cum extulissent sepelierunt.

Anania cur impleuit &c.) nū, inquit, inuitos vos trahimus? vt quod sponte a vobis in Dei oblationem dedicatum fuerit, rursus in vestros vsus absumatis: id qđ proculdubio sacrilegium est. vnde etiam sacrilegorum pœna affecti sunt: quæ est mors. Nam cum inquit (exanimatus est) id est ἐξέψυξεν, quod refrixit, significat, et aruit, mortuum esse ostendit, vitali profus humore priuatum. nam contrā νέφος viuus apud veteres dicitur, quod humidum significat.

Quasi trium horarum spatium intercessit, et uxor eius facti ignara ingressa est. Petrus autem ei respondit. Dic mihi, tãti ne agrum uendidisti: ipsa uero ait. profectò tanti. at Petrus ad ipsam dixit. quid inter uos conuenit, ut spiritum Domini tentaretis? ecce pedes eorum qui uirum tuum sepelierunt ad fores, & effrent te.

Animaduerte Petrum minime eã vocare, sed expectare, vt ipsa quando uult, adueniat, ea causa vt & pœnitendi et non impudenter ingredien- di copiam ei faceret. Accessit autem eorum quæ viro suo contigerant, ignara, propterea qđ enunciare ea ipsi timore & ueneratione magistri nemo audebat. nam horarum trium spatium vt in multos factum id diuulgaretur, satis esse poterat: sed timor uidelicet coercebat, hæc enim etiam euangelista Lucas admirãs, vtraq; hæc posuit & horarum trium spatium, & vxoris ignorationem.

Cum vero Petrus interroget quanti agrum ven-
didissent, ipsi venię prebet occasionem: quasi nõ
in ipsius sed in mariti potestate v̄dere & defrau-
dare situm fuerit. at vbi cum viri fraude consen-
tientem eam deprehēdit, simili pœna quoq; eam
mulctat: quippe cum diuinarum rerum contem-
ptus mansuetum etiam atq; ira vacuum in iram
incendere consueuerit. confirmatio huiusce rei
ex Moysē etiam peti potest: qui cū esset mansue-
tissimus, lignantem tamen in sabbato lapidandū
esse censuit. & tamen illic mandati violatio in
officijs exequendis conspiciebatur: hic sacrilegiū
cummissum est. Deo enim dedicata ad pauperū
alimoniam ipsi in suos superuacuos vsus expen-
debant. nam necessitati satisfacere poterant, si ex
ijs quæ in communi cella reposita fuerāt, pro in-
digētia sibi sumpsissent. Aduerte item q̄ vehemē-
ter aduersus domesticos & suos inuehantur. non
enim volunt, vt qui semel spiritali gratia digni
habiti sunt, & conuersationem cum ipsis sunt
consequuti, fures & sacrilegi esse deprehendant.
in alienos vero punitione non vtuntur: ne videā-
tur etiam nolentes homines terrore pœnæ cogere,
vt ad fidem accedant. Atenim si Satanas cor
Ananiæ impleuerat, totūq; opus perpetrauerat,
cur in Ananiam tam seuerē animaduertendum
fuerat: non temere id factum est, sed iuste: quip-
pe cum ipse ad ita suscipiēdum Satanam idoneū
se prestitit.

Ceciditq; ea ad pedes ipsius, & exanimata est. in-
gressi vero iuuenes mortuā ipsam inuētā extulerūt,

Num. 15. d

2. 1. 1. 1.

2. 1. 1. 1.

2. 1. 1. 1.

2. 1. 1. 1.

2. 1. 1. 1.

2. 1. 1. 1.

Et apud virum suum sepelierunt. timorq; in totam ecclesiam, Et in omnes qui hæc audiebant, magnus exortus est.

Quo modo apud pedes eius expirauit: propterea quod prope ipsum stabat. Petrus enim ipsam iuxta se constituerat, ut si vellet poenitentiam agere & confiteri, non erubesceret, neque ob alios audientes deterreri posset. Terror autem hic a sapientissimo Petro contra peccantes incussus non temere est, sed ex doctrina præcognitiōis, qua multa hominum peccata præsanari consueuerunt. Nam cum tunc Euangelij semina iacere incepissent, statim ubi internascentia zizania inspexerunt, ea sapienter extirparunt. sic Moyses in exordijs legis eum qui uel leui peccato eam uiolauerat, lapidari iussit, ita Deum præcepisse asserens. Idem in primis parentibus uidere licet, qui ob ligni gustatum fuerunt condemnati. Dum enim pestilens flagellatur, desipiens uersutior efficitur: ut sacrum illud prouerbum est. ita in his quoque supplicium præsentibus & uidentibus ea quæ fiebant, in lucrum cessit. Nam quamuis alia quoque signa præcessissent, tantus tamen terror animos eorum non inuaserat. ita cognoscitur Dominus iudicia faciens. in operibus enim manuum suarum peccatore comprehenso fit, ut ex animaduersione contra illum salutaris alijs timor incutiatur. id quod etiam in Oza pœna contigit. eius siquidem poenitentio plerisque alijs formidinē attulit: ut quæ Deo essent consecrata, prophanorum manibus intacta conseruarentur. Aduertendum autem hinc est,

Num. 15. d

Gen. 3. c

Pro. 19. d

Psal. 9. c

2. Re. 6. b

1. Par. 13. c

ex mortuorum Ananiae & uxoris eius elatione ab h̄isdem pollinctoribus facta, contemni iam legem, alioqui enim q̄ cadauer Ananiae attigerāt, *Leui. 11. f* immundi usq; ad uesperam permansissent. sed illi ipsi nunc uxori quoq; sepeliendae uacarunt.

Per manus autem apostolorum fiebant signa & prodigia multa in populo. erantq; unanimiter omnes in porticu Salomonis. ex reliquis autem adherere ipsis audebat nemo. sed magnificabat eos populus. magisq; credentes Domino adiungebantur, multitudines uirorum & mulierum. ita ut per plateas exponerent infirmos, eosq; in lectis, et grabatis collocarent, ut uel umbra ipsa transeuntis Petri aliquem illorum obumbraret. multitudo item uicinarum urbium in Hierusalem conueniebat: infirmosq; afferebant, & eos qui ab immundis spiritibus uexabantur: qui quidem omnes curabantur.

Vide quo modo apostolorum vita ex tristitie & latitiae uicissitudine contexebatur. tristitia primum ex assumptione orta est, deinde ex aduentu spiritus successit alacritas: iterum ob irridentes mæror, ob fideles & signum latitia: rursus animi demissio ex comprehensione contigit, postea ex defensione & responsione alacritas: rursus nunc ex signis & splendore fiducia, ex pontificis & comprehēdētium inuasiōe timor incessit. In ueteribus quoq; quicūq; ex Deo uitam traduxere, idem reperire quispiam posset. Ne mireris, inq̄, quo pacto proprijs domibus relictis in templo

in porticu Salomonis degere permittebantur. multitudinem enim miraculorum quæ ab ipsis fiebant, omnibus erant formidabiles. hoc enim significat cum inquit (p manus apostolorum fiebant signa & prodigia multa in populo) & statim subiungit, (ex reliquis uero adherere ipsis audebat nemo.) id est ne appropinquare quidem ipsis quispiam audebat. sed magnificabat ipsos populus. quis? Iudæorum, quosnam? apostolos. sed qualis hæc magnificatio fuit? q̄ p̄terq̄ q̄ ad fidem Christi accedebant, & augebatur numerus, infirmos quoq; & egrotantes in uias & plateas in lectis et grabatis exportabant, ut uel ex umbra trāseūtis Petri sanitatē consequerent: id qd' in Christo non fiebat. cœterum hoc quoque eius ipsius opus erat qui promiserat, & dixerat: qui credit in me opera quæ ego facio, ipse etiam faciet: & maiora quoque his faciet. quare hoc quoq; à Christo qui ita p̄miserat, apostolis eueniebat, ex ihs qui credebant, ex ihs qui curabant, ex ihs item qui puniebantur, ut Ananias. nam licet etiam ipsi apostoli modeste se gerentes miracula hæc in magistrum referrent, quæ in nomine eius efficiebant: uita tamen ipsorum & uirtus apostolica satis idonea erat, ut ihs qui ita uiuere proposuissent, mirabilium hanc factorum gloriam exhiberet.

Io. 14. b

Cum surrexisset autem pontifex & omnes qui cū eo erant, quæ erat Sadducæorum secta, zelo repleti sunt: manusq; in apostolos iniecerunt: atq; eos in publica custodia posuerunt. Angelus uero Domini per noctem

Item apertis custodiae foribus, ipsiq; eductis dixit: ite
 & stantes in templo loquimini populo omnia uerba
 uitae huius. qm̄ cum audiuissent, ingressi sub diluculū
 in templum sunt, & docebant. Cum uero pontifex ad-
 uenisset & qui cum ipso erant, concilium conuocarūt,
 et totum seniorum ordinem filiorum Israel: miserūtq;
 in carcerem, ut adducerentur. ministri autem eo profecti
 Et ipsos in custodia non inuenerunt. & reuersi renun-
 ciarunt, dicentes: carcerem quidem cum omni diligen-
 tia conclusum inuenimus, & custodes extra ad fores
 stantes, aperto tamen eo intus neminem offendimus:
 Vbi haec uerba audiuerunt & sacerdos & dux tem-
 pli & pontifices, ambigebant de ipsis, quid nam id es-
 set. accedens autem quidam ipsis annunciauit, ecce in-
 quiens, uiri quos in custodia posuistis, in templo stant,
 & docent populum. tunc abiit dux cum ministris, &
 adduxit ipsos, non tamen cum ui.

Cum haec ab Apostolis fierent, quibus multi-
 tudo ad praedicationem accedebat, & fidelium tur-
 ba quotidiano incremento mari per q̄ similis iam
 constituebatur, cum surrexisset, inquit, pontifex:
 id est cum excitatus esset, & motus ob ea quae fie-
 bant, vehementius in ipsos inuadit: a Sadducæis
 maxime inhumanius incensus, atq; inflammatus:
 eo q̄ sibi inuisa resurrectione apostolos omnia
 efficere conspiciebant. nam cum Christum resur-
 rexisse illi praedicarent, in fidem resurrectionis
 nomine eius qui resurrexerat, miracula facere
 conspiciebant: id quod proculdubio non euenisset,

si falsa ipsa res exstitisset. Quocirca ita efferati,
 atq; ad eedem apostolorum incitati custodię vin-
 culis eos tradiderunt, neq; statim in iudicium ad-
 duxerunt, versute id studetes vt terrore carceris
 occasionem mutandę sententię eis exhiberent.
 Atq; hi quidem in hunc modum vafre consule-
 bant: at Deus mora illa carceris versute ab illis
 procurata illos frustra dolose agere conuicit, &
 apostolos eductione per angelũ ministrata ma-
 gis confirmavit: & quę oporteret, & quo modo
 perseuerando operari commonefecit. ignoratio
 vero angelici subsidij scelestos opprimebat, quo
 tempore non misericordia ducti & clementia:
 quo pacto enim; qui serpentibus sequiis erant in-
 dignati: sed dolose in iudicium adducere aposto-
 los distulerant. latuit igitur ipsos angelicum au-
 xilium, vt cum consilium suum exequi se primũ
 comprehendendo, carceriq; intrudendo aposto-
 los opinarentur, deinde cogitationibus omnibus
 suis diuina protectione frustrati fuissent, consilij
 inopia atq; hæsitacione erudirentur, diuinamque
 esse potentiam existimarent. eductio enim e car-
 cere per angelum sicut apostolis in consolatio-
 nem, ita Iudeis in vtilitatem cedebat: latuit siquid-
 dem eos, vt videlicet quemadmodum dixi, in du-
 bitatione prius rei constituti, si vellent, etiam
 ipsi erudirentur, diuinamq; esse id potentia factum
 intelligerent. at ipsi adeo fuerunt debilitati atque
 excęcati, vt ne odiosissimos quidem sibi aposto-
 los per vim e templo extrahere auderent. ex quo
 facile patere potest, plebeam turbam Iudęis prin-
 cipibus longe fuisse prudentiorem; cum imperiti

citius, q̄ legis consulti diuinis signis ad salutem accederent .

Timebant enim populum ne lapidarentur. cum uero ipsos adduxissent, in concilio statuerunt. interrogauitq; ipsos pontifex, dicens .

O stupiditatem : timore turbæ , id qđ tamen obscurum erat, modestius se gerūt. Dei uero qui ita aperte e manibus ipsorum semper eos tanq̄ pullos suos eripiebat, ne rationem quidem ullam habent .

Nonne præcipiendo præcepimus uobis, ne in nomine hoc doceretis? & ecce implestis Hierusalem doctrina uestra.

Legis periti cum certa & indubitata Dei signa viderent, impudenter ac stulte interrogant, nonne præcipiendo præcepimus vobis ne loqueremini? si præcipiendo tantum, quò custodia, & multa illa coercendi diligētia spectabat, qua carceri custodes assidere constitueratis? sed horum nimirum non recordantur. id qđ ad angelici miraculi occultationem facit . Cæterum ita dicendum ipsis est: si ad præceptum vestrum consensus quoq; noster accessit, cōsentanea hæc disquisitiones vestre, examinationesque sunt : sin uero nihil ex his est, stultum est criminari qđ præceptū vestrum violauerimus.

Vultisque sanguinem hominis istius supra nos inducere .

Adhuc merus homo ipsis esse videbatur. hoc autem dicunt, vt necessariam fuisse eam præceptionem, salutisque sue causa factam ostendant: vt que contra ipsos multitudinem exasperent.

Respondens autem Petrus & apostoli dixerunt: Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Deus patrum nostrorum excitauit Iesum, quem uos suspensum in ligno interemisistis. hunc Deus principem & saluatorem dextera sua exaltauit.

Vide quanta dum examinatur, mansuetudine vtantur. non audacter respondent: sed cum sint magistri, non irascuntur, sed miserentur: vt que ab errore ipsos amoueant, student. non enim diuinis signis elati quemadmodum ipsi contumeliose inuehuntur, monentque statim, ne aduersus stimulos recalcitent: sed primum Dei obedientiam hominum præceptis esse anteponendam asserunt, latenter ita eos coarguentes, q̄ ea contemnerent quæ per ipsos diuinitus efficiebantur. deinde quem merum hominem illi vocauerant, cū aiunt & saluatorem et vitæ auctorem a Deo constitutum, ita vt a mortuis eum suscitaret. nam propriæ potentiæ hoc ascribere, nondum opportunum esse videbatur, ne Deo aduersari eo nomine existimarentur. huncque a Deo ita fuisse exaltatum quem illi crucis nece occiderant. ob quæ quantam poenam mereantur, quasi a profundo sopore eos excitans cogitandum suggerit.

Vt det poenitentiam Israel & remissionem peccatorum.

Cum sermonem de cruce ita exaggerasset, quasi indignum venia scelus h̄s qui eadem contra Christum rabie v̄si fuerant, remque admodū grauasset: nunc tanti oneris veluti subleuationē parans, inquit: Sed hic tamen a vobis ignominia affectus, & a Deo exaltatus spiritum penitentiæ Israeli & remissionem peccatorū dedit: nihilque eum per crucem illata contumeliæ auertere a vobis possunt: propterea q̄ qui a Deo est exaltatus, iniuriarum non reminiscitur, ignoscitque illis qui ipsum per obedientiam et fidem agnoscūt. Quia in re animaduertendum est quo modo & factis & verbis admoniti & castigati Iudæi, attendere noluerūt: vt merito iusta eorum condēnatio sit. factis quidem erudiebat ipsos Deus cū capi apostolos, in carceremque intradi permisit, & mirabiliter liberauit: verbis, cum facit vt apostoli cum fiducia loquantur, iudæosque omnes in sermonibus instruant. sed alij quidem compūcti sunt, & persuasi ad apostolos accesserunt: p̄rifex vero & principes contra apostolos fredebant, & clamabant: propterea q̄ rabies qua cōtra Christum v̄si fuerant, apertius deinceps, vt pote non iuste sed ex inuidia contracta procedebat, & in similem cædem ipsos instigabat. vnde etiam inquit, vultis sanguinem hominis istius supra nos inducere: sanguinem cædem appellantes: quemadmodum etiam Deus ad Cain, vox sanguinis fratris tui clamat ad me, id est cædes. Gen. 4.b Hæc autem dicebant Iudæi, quasi salutis suæ cautione: vtque multitudinem contra apostolos incitarent.

Nosq; horum eius uerborum testes sumus.

Quorum: q̄ remissionem, q̄ p̄nitentiam vi
delicet promiserit. resurrectio enim erat iam cō-
cessa.

Et spiritus etiam sanctus, quem dedit Deus omni-
bus obedientibus ei. Illi uero cum hæc audiuissent,
frendebant, & interficere ipsos cogitabant.

Quòd remissionem det, & nos testificamur,
& spiritus etiam sanctus: qui sanè non accessis-
set, nisi prius peccata fuissent soluta. Sed humili-
tatem huiusmodi oratio præ se fert. non enim di-
xit, nobis præfinit qui ipsum amamus, sed om-
nibus, communem rem faciens, qui obediunt
ipsi: vt, si ipsi etiam obediuerint, licet scelus cir-
ca crucem commiserint, non futuros esse tamen
doni eius expertes ostendat.

At surgens quidam in concilio Phariseus Gama-
liel nomine, legis magister, qui in honore erat apud
uniuersum populum, iussit parumper foras apostolos
educi: dixitq; ad ipsos. Viri Israelitæ attendite uobis
super hominibus istis, quid acturi sitis. ante enim hos
dies surrexit Theudas dicens se esse aliquem: cui nus-
merus uirorum circiter quadringentorum adhaeserat.
qui occisus est: & omnes qui cūq; ei crediderant, dis-
soluti, & in nihilum redacti sunt.

Hic Gamaliel Pauli magister fuit: quem, cū
esset doctor & in legis iudicijs optime consultus,
non credere in Christum, licet non integre, non

multæ prudentiæ est existimare. ex verbis siquidem eius manifestum est: quæ sapientia ipsum præstare satis declarant. Quin ex factis quoque ipsis idem patet. nam cum prius educi e concilio Apostolos iusserit, præterq̄ q̄ terrorem ipsis incusserit, suspiciõne etiam omni se ipsum liberauit: ne verba ea in gratiam consentientium facere videretur. iccirco neque multa vehementia vitur: sed quasi ad ira exturbatos, attendite, inquit, vobis quid acturi sitis: id est ne ita temere feramini. deinde exempla quorundam qui imprudenter & inutiliter in talibus rebus se gesserunt, adducit: Theudã, & Iudam Galilæum: qui in felicem exitum minime euaserunt. exempla autem non vetera sunt, sed recentia: quorum multi inspectores extiterant.

Post hunc surrexit Iudas Galilæus in diebus professionis: & auertit populum multum post se. & ipse perijt. & omnes quicũq; ipsi paruerant, dissipati sunt.

Videntur Galilæi temporibus Pilati seditionibus laborasse Iudæ Galilæi sequuti dogma. id autem erat, vt in vltimis libris antiquitatum Iudæicarum testatur Iosephus, qd̄ ob pietatem speciẽ non mediocris constantiæ ac rigiditatis præ se ferre videbatur. Dominum enim, ne quantum ad nomen quidem attinet, appelladum esse quẽpiam asserbat, neque honoris, neque humanitatis & obsequij alicuius causa: vt regi quoque hoc nomen attribuendum negaret: atque id ita pertinaciter, vt multi ex ipsis quia Cæsarem

dominum appellare volebant, grauissimas pœnas subierint. Iidem hi docebant alia sacrificia, præter instituta in lege Moysis offerri Deo non debere: ac propterea ea quæ a seniorum populi confessu pro salute regis & Romanorum gente tradita fuerant, fieri vetabant. ob hæc verisimile est Pilatum contra Galilæos fuisse indignatum: ac iussisse vt super ipsa sacrificia quæ ex lege videbantur offerri, ipsi etiam mactarentur. vt tunc cum ipsis sacrificijs quæ offerebantur, offerentiũ quoque sanguis intermixtus fuerit. Quẽadmodum in Luca Euangelio habetur.

Luc. 13. a

Et nunc dico uobis, absistite ab hominibus istis, & relinquite ipsos. quoniam si ex hominibus fuerit cõsiliũ aut opus hoc, dissoluetur: sin ex Deo, dissolueret ipsum non poteritis. ne forte etiam Deo repugnantes esse deprehendami. Illi autem obtemperarunt ipsi, & cum aduocassent apostolos, cæsis eis præceperunt, ne in nomine Iesu loquerentur: & absoluerunt ipsos. atque illi quidem ibant gaudentes a facie concilij, q̄ pro nomine Iesu digni habiti fuerant, ut ignominia afficerentur. omnique die & in templo & in domo docere, & euangelizare. Iesum Christum non cessabant.

Exempla nota & recentia attulit: vt & aggressio huiusmodi atque innouatio caueatur, ne in euentum similem incidant: & his ad causam suam accommodatis ab impugnatione contra Apostolos auditores remoueat. Ne forte, inquit,

si ad finem qui impediri nequeat, hæc tendant, habeantq; Deum adiutorem, in pugnam aduersus Deum deueniamus: atq; ita non contra illos, sed contra nos ipsos armemur. quippe cum qui contra id qd Deo visum fuerit, inferre vim conatur, contra se ipsum id faciat, seque ipsum demum feriat. Nam si humana incitatione nituntur, contra ipsos indignari superuacuum est: cū principium statim subsequutura dissipatio sit, vt ex exemplis collegi potest. Non dixit autem aperte Apostolorum consilium aut ex Deo, aut ex hominibus esse: eo q; si ex Deo dixisset, confestim restitissent, atq; aduersati essent: si ex hominibus, promptos atq; alacres contra Apostolos eos reddidisset. iccirco oratione sapienter disposita expectandum euentum esse inquit: neq; ita temere contra rem ignotam irruendum. qui enim contra consilium Dei pugnat, non illud, sed se ipsum disperdit. Nam si humanum est, iquit, qd suscipiendę molestiæ vobis sunt: per se ipsum. n. dilabetur. si autem est diuinum, neq; cum molestiis & laboribus omnibus dissoluere ipsum poteritis. **ALITER.** Non dixit ex Deo esse opus hoc, neq; humanum. nam si ex Deo esse asseruisset, illico restitissent illi: si ex hominibus, audaciores eos cōtra apostolos effecisset. iccirco hominis prudentiam specta, q̄ moderate orationem instituerit. expectandum euentum iubet. præterea non dixit, ex Deo esse cognoscetis, si dissoluere non poteritis: sed, si ex Deo est, non dissoluetur. illud enim sc̄uitiæ illorum ascriberetur: hoc Dei potētiæ attribuitur. Obtemperaue-

runt autem eo q̄ non coram Apostolis sed semotis illis hac dixit: tum quia cum ipsis consentire existimabatur, vereriq̄ finem rei, quo nam eaderet: sicut ipsis etiam consulebat. Accessit postea sermonis suauitas vnà cum iustitia, quæ ad persuasionem magnam vim habuit. Sed si obtemperarunt, et persuasi sunt, quo modo verberibus eos affecerunt? obtemperarunt quidem eatenus, vt a cæde abstinerent: ad eam enim furiose inhiant. flagellarunt tamen ne temere & contra fontes incitati fuisse viderentur. ac profectò, q̄ impetus ipsorum resolutus ac rerusus fuerit, virtuti consultoris: q̄ flagris ceciderint, insito ipsorum furori attribuendum est. Veruntamen hac in re q̄ in melius p̄fecerint apostoli, inde potes cõspicere, q̄ afflictationibus quibus illi eos opprimendos esse sperauerant, magis illecti sunt atq̄ incitati, vt aperte atq̄ interrite ad docendum p̄dissent: neq̄ in abdito, sed in templo rursus vnde fuerant comprehensi, et vbiq̄ alibi Christum denunciarent: atq̄ ita vanum eorum qui contumeliam in se intulerant, studium auditoribus ostentarent.

De creatione septem diaconorum, & Iudæorum in
Stephanum calumnatione. Cap. VI.

IN diebus autem his cum augeretur multitudo discipulorum, orta est susurratio græcicorū aduersus Hebræos, q̄ in ministerio quotidiano viduæ ipsorum negligenterent. conuocata igitur multitudine discipulorum duodecim apostoli dixerunt: non æquum